



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio Sexta. De Perfectione Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO SEXTA.

De Perfectione Dei.

POST Dei Simpliciter agitur S. Thomas de illius Perfectione, Veriâque circa eam scitu digna, inquirat. Sancti igitur Doctoris vestigiis insistentes, Disputationem hic de Dei Perfectione instituemus, eamque tum in Attributis ejus intrinsicis, secundum se spectatis, tum eorum ad res creatas comparatione factâ, indagabimus. Ad quam tamen melius percipiendam, prius in quo sita sit perfectio inquirendum.

SECTIO PRIMA.

In quo situs sit conceptus Perfectionis.
Vbi de Perfectione simpliciter
Simpliciter

I.
Perfectum
quasi con-
summatum
factum.

PERFECTUM, si nominis Etymologiam spectemus, idem est ac totaliter & consummatum factum: quo sensu certum est Deo non competere, utpote qui omnino non est factus: quod autem factum non est, perfectum proprie dici non potest, ut notavit S. Thomas hic q. 4. art. 1. ad primum: & S. Isidorus lib. 1. Sentent. cap. 2. sent. 4. De consummatione, inquit, alicujus facti dicitur perfectio: Deus autem, qui non est factus, quomodo est perfectus? Alia ergo hujus rei notio investiganda.

II.
Perfectum
est, cui se-
cundum
statum suum
nihil deest.

Secundò itaque, ut in hac quaestione 4. a. 1. in fine corporis advertit S. Thomas, perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suae perfectionis: quod ex Aristotele, 5. Meth. tex. 21. desumptum est, videturque communis hujus vocis acceptio, ut scilicet illud censetur perfectum, quod in suo ordine integrum est, omniaque habet, quae ei juxta naturalem exigentiam debentur.

III.
Aliud est
nomen per-
fecti aequè
fortiri, aliud
aequè per-
fecti.

Dices, hinc sequi, muscam aut formicam aequè perfectam esse, ac Angelum; tam enim formica in sua tenui re nihil deest, quam Angelo. Resp. muscam & formicam, aut aliud hujusmodi, cui nihil eorum deest, quae illi naturaliter debentur, perfecti nomen aequè fortiri, sed non aequè perfecti: haec enim duo sunt diversissima; perfectum quippe patitur magis & minus. Quamvis namque perfectum illud omne sit, quod partibus suis omnibus constat, quò tamen partes sunt praestantiores, eò res illa est praestantior, & perfectior. Sic homo est multò perfectior compositum lapide aut bruto. Sic in artefactis, exigua aliqua domus, ex terrâ, ligno, aut rudi aliâ materiâ fabricata, si partibus suis omnibus constaret, esset perfecta, cum ad essentiam domus nihil ei deesset: at sine dubio perfectior multò domus esset amplum ali-quod palatium ex marmore, aut pretiosa aliâ materiâ exaedificatum, nullusque sanæ mentis, hanc domum non diceret illi multis gradibus antefereendam.

IV.
Perfectio
simpliciter

Perfectio duplex est, simpliciter simplex, & non simpliciter simplex, seu absolute, & secundum quid. Perfectio simpliciter simplex à Theologis communi-

ter ex S. Anselmo in Monol. c. 14. circa medium, & in Profol. cap. 5. & II. fine, sic definitur: Est perfectio, quae melior est ipsa quam non ipsa in quolibet individuo. Hujusmodi perfectiones sunt substantia, vivens, Spiritus, Actus purus, Deitas: item Sapientia, Bonitas, & similia: quae nimirum perfectiones alias se meliores, vel etiam aequales ab Ente in quo sunt, non excludunt; quas proinde melius est habere, quam non habere. E contra verò, Corpus, Accidens, Potentialitas, & id genus alia, non sunt perfectiones simpliciter, sed secundum quid, cum perfectiones alias se meliores, nempe rationem Substantiae, Spiritus, Actus puri &c. ab eo in quo sunt, excludant.

simplex, &
non simpli-
citer sim-
plex.

Id verò notandum: cum dicitur, Perfectionem simpliciter simplicem esse illam, quam cuilibet Enti, seu individuo, melius est habere quam non habere, intelligendum id esse de quolibet Ente, non in particulari, & secundum propriam cujusque naturam, sed generatim sumpto, ut sensus sit, perfectionem hujusmodi illam esse, quam cuilibet enti, eo ipso præcisè quòd Ens est, melius est habere quam non habere. Si enim propriam & particularem cujusque rei naturam spectemus, & juxta illam, hanc S. Anselmi definitionem interpretemur, ut nimirum illa sit perfectio simpliciter simplex, quam melius sit quodvis ens in particulari habere, quam non habere, ratio lapidis, aut ligni, & similes, erunt perfectiones simpliciter simplices, cum lapidi melius sit habere rationem lapidis, quam eam non habere, utpote quam si non haberet, destrueretur, cum in alienam naturam migrare nequeat: Unde illi melior est ratio lapidis quam Angeli: & universum, rei, etiam imperfectissimae, melior est propria exilis perfectio, quam aliena quantumvis praestans & excellens.

V.
Quo pacto
intelligenda
sit haec per-
fectionis
simpliciter
simplicis
descriptio.

Addo tamen, non carere probabilitate, quod affirmat P. Arriaga hic, d. 49. sect. 3. num. 16. posse perfectionem simpliciter simplicem explicari in ordine ad naturam cujusque rei, etiam in particulari sumptam, modò comparatio non absolute fiat, sed conditionatè, ut nimirum illa sit perfectio simpliciter simplex, quam si per impossibile lapis, leo, aut equus ex. g. habere posset, melior ei esset quam ulla alia perfectio tum hac impossibilis. Quam tamen acceptionem exillimo in re non differre à praecedente.

VI.
Alia acco-
ptio per-
fectionis sim-
pliciter sim-
plicis.

Dices, ex dictis sequi, Relationem Paternitatis in divinis (idem est de aliis) non esse perfectionem simpliciter simplicem, cum à Persona seu supposito Patris excludat perfectionem aequalem, Relationem scilicet Filiationis, & Relationem Spiracionis

VII.
Suntne Re-
lationes in Di-
vinis per-
fectiones sim-
pliciter sim-
plicis.

TOMVS I. tionis passiva, quarum utraque æquè bona ac perfecta est, ac Relatio Patris; ergo nulla Relatio divina est perfectio simpliciter, cum non sit melior ipsa quam non ipsa in omni Ente. P. Suarez 1. p. lib. 3. de Trin. cap. 10. num. 4. ob hanc ipsam rationem affirmat, Relationes divinas non esse perfectiones simpliciter simplices: quod similiter docet Tannerus hic d. 2. q. 3. dub. 2. num. 4. asserens esse communem sententiam.

VIII. P. Granado tamen censet, Relationes divinas esse perfectiones simpliciter simplices propter circumfessionem; licet enim Pater realiter distinguatur à Filio, Filius nihilominus est in Patre, & Pater in Filio, ac Spiritus Sanctus in utroque. Unde distinctio hæc Relationum nihil è Patre, vel ullà alià Persona divinà, excludit. Deinde Relationes istæ quamvis inter se oppositæ, omnes tamen cum Naturâ Divinâ identificantur, utpote cum qua nullam habent oppositionem, nullamque proinde ab eâ perfectionem excludunt. Unde perfectionem simpliciter dicunt aliqui illam esse, quæ Melior est ipsa, quam non ipsa. non in quolibet Ente simpliciter, prout etiam includit suppositum, sed in qualibet naturâ. Relationes etiam hæc esse perfectiones simpliciter simplices affirmat P. Arriaga Disp. illâ 49. sect. 3. num. 16, & alii. Utraque opinio est probabilis, & juxta fundamenta hæc posita, facile defendi potest.

IX. Idem, juxta diversas sententias de actu libero Dei, dicendum videtur de volitione Mundi, qua nolitionem mundi æquè perfectam atque est mundi volitio, à Deo excludit. Si ergo actus Dei liber sit adæquatè intrinsecus, quamvis quoad entitatem & realiter nihil à Deo per volitionem mundi excludatur, excluditur tamen aliquid virtualiter, cum nequeat Deus simul intrinsecè velle & nolle mundi creationem, vellet enim contradictoria. Siquis ergo propter virtuales hanc exclusionem, & istiusmodi inter hos actus pugnam, dicere velit, volitionem aut nolitionem mundi, vel alium quemcunque actum Dei liberum, non esse perfectionem simpliciter simplicem, per me licet, modò nihil dicat re ipsa & à parte rei per actum ullum liberum excludi, quasi quidquam in Deo foret in essendo liberum. In aliâ verò sententiâ actum liberum Dei, quâ liberum, constituyente in connotatione alicujus extrinseci, in hac, inquam, sententiâ, nullus actus liber Dei adæquatè sumptus, potest esse perfectio simpliciter simplex, cum non sit adæquatè Deo intrinsecus, qualis esse debet omnis hujusmodi Dei perfectio.

X. P. Fremò, Hic notandum cum Molina, 1. p. q. 4. a. 2. d. 2. negationes & privationes non esse perfectiones simpliciter simplices, cum omnino non sint perfectiones, utpote quæ nihil sunt. Cum ergo dicitur, Perfectio simpliciter simplex est, quam melius est habere, quam non habere, per non habere non est intelligendum præcisè melius esse habere illius negationem, sed habere naturam aliquam excellentem, in qua negatio illa fundatur. Sic inimitabilis ex. g. non est perfectio simpliciter simplex, quam proinde Enti quâ Enti, seu generati sumpto, præstat non habere, non tamen propterea satius est, & optabilius, esse negationem equi quam equum: sed dum dicitur, melius esse non esse equum, sensus est, præstare habere naturam aliquam nobilem, puta intellectualem, quæ scilicet majorem vel æqualem sibi perfectionem non excludat, quæque negationem in se equi fundet, & exigit.

SECTIO SECUNDA.

Sitne Deus summè perfectus: Vbi, an, & quomodo rerum creatarum in se perfectiones contineat.

DEUM summè excellentem & perfectum esse, omnium vox est, ipsius etiam fidei calculo firmata. Sic Math. 5. 4. 48. dicitur, *Estote perfecti sicut & Pater Vester celestis perfectus est.* Quod explicans Concilium Lateran. Capite Damianus de sum. Trin. *Estote, inquit, perfecti perfectione gratia; sicut Pater Vester celestis perfectus est perfectione natura.* Summam verò hanc Dei perfectionem pulchrè declarat Ecclesiasticus cap. 43. v. 32. his verbis: *Glorificantes, inquit, Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude, &c.*

In hac etiam veritate tradendâ & explicandâ, multi sunt Sancti Patres. Ex infinitis, quæ proferunt, pauca tantum depromam. Sic S. Gregor. Nazian. oratione 49. post medium: *Certe, inquit, hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici; cum estimatur, non potest estimari; cum definitur, ipsa definitione crescit, quem omnia nesciunt, & mentiendo sciunt.* S. Augustinus lib. 5. de Trin. c. 1. *Intelligamus, inquit, Deum, si possumus, quantum possumus: cumque varia de naturâ divinâ præstantiâ dixisset, subjungit: Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest invenire quid sit, piè tamen cavet quantum potest, aliquid de eo sentire, quod non sit.* S. Anselmus in Prologo, cap. 15. *Ergo, inquit, Domine es quiddam majus quam cogitari possit.* Idem frequentè affirmant alii Patres: ad quam rem appositè Paraphrasis Chaldaica initium Psalmi 64. *Te decet hymnus Deus in Sion, ita interpretatur, Coram te reputatur sicut silentium laus.* Quasi diceret, tantas tamque incomprehensibiles esse Dei excellentias, ut eas admirari satius sit, quam loqui, sacroque potiùs silentio involvendas esse, quam prædicandas.

Ratio denique est: Nomine etenim Dei intelligunt omnes supremum aliquod Numen, penes quod est creatio & administratio Univerfi: Deus proinde summâ potentia præditus sit oportet, & sapientiâ, ac reliquis perfectionibus contineat his conformes, omniaque in se summa habeat: talis demum sit, quo majus aut melius cogitari nihil possit. Quòd si aliud perfectius possibile menti occurreret, hoc, non illud, censendum esset Ens supremum, Deiçque nomen ac Numen fortiretur.

Deus insuper non solum Ens est, entium quæ cogitari possunt, perfectissimum; sed rerum omnium creatarum in se perfectiones complectitur, sicque Ens est, non in aliquo tantum particulari, sed in omni entis genere perfectissimum. In hac veritate astruendâ firmandâque, non minùs sunt Sancti Patres, quam in præcedente.

Probatur primò: Sacra enim Scriptura hoc variis locis aperte asserit. Sic Exodi 33. v. 19. dicit Deus Moyfi, *Ego ostendam omne bonum tibi, volens nimirum aliquo modo ostendere seipsum.* Sic ad Rom. 11. v. 36. ait Apostolus: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Item Psalm. 49. v. 11. *Pulchritudo agri mecum est.* In quem locum S. Augustinus, *Cum illo, inquit, id est, cum Deo, est*

totum

I.
Fides docet,
Deum esse
summè per-
fectum.

II.
Dei excellen-
tiam decla-
rant Patres.

III.
Ratio cur
Deus esse de-
beat summè
perfectus.

IV.
Deus rerum
omniū crea-
tarum per-
fectiones in
se continet.

V.
Ex Scriptu-
rà & Patri-
bus proba-
tur, rerum
omniū per-
fectiones
in Deo con-
tineri.

*Negant ali-
qui hanc Re-
lationem esse
perfectionem
simpliciter
simplicem.*

*Alii censent
Relationes
divinas esse
perfectiones
simpliciter
simplices.*

*An volitio
Mundi sit
perfectio
simpliciter
simplex.*

*Negationes
non sunt
perfectiones
simpliciter
simplices.*

totum: cum illo ager, cum illo species calis, cum illo species terra &c. ac demum subdit, In ipso vita erat, quicquid factum est. Sic S. Gregor. Nyssen. lib. 1. de hominis officio cap. 16. Dei, inquit, natura, perfecta quedam copia est honorum omnium. Pro quo etiam facit, quod S. Thomas hic q. 4. a. 2. Corp. ex S. Dionysio, affert de Divin. Nominib. c. 5. ubi de Deo loquens, sic habet: Non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est, & omnium causa. Denique S. Greg. Nazian. Orat. 2. in Pascha, circa medium: Deus, inquit, Universum id, quod est, complectitur, quasi Pelagus quoddam essentia immensum, & interminatam.

VI. Perfectiones omnes simpliciter simplices in Deo formaliter existunt.

Restat explicemus quo modo rerum omnium perfectiones in Deo contineantur, Inprimis itaque perfectiones omnes simpliciter simpliciter formaliter in Deo reperiuntur. Ratio est clara: cum enim perfectio simpliciter simplex nullam in se involvat imperfectionem, imò, ut sect. precedente vidimus, ejusmodi sit, ut eam melius sit habere quam non habere, unaque aliam ex eodem subiecto, vel quasi subiecto, non excludat, ipso facto quòd Deus unam ex perfectionibus hinc non haberet, caretet perfectione aliqua possibili, sicque aliquis in eo esset defectus, nec foret Ens omnium perfectissimum; Ens namque illud quod hanc etiam perfectionem simpliciter simplicem haberet (sicut jam ostendimus habere posse, cum una perfectio simpliciter simplex, ut dixi, aliam non excludat) foret Deo perfectius. Deus itaque est formaliter substantia, spiritus, sapiens, omnipotens, immensus &c. nec ex hujusmodi perfectionibus ulla ei deest, aut deesse potest.

Vna perfectio simpliciter simplex aliam non excludit.

SECTIO TERTIA.

Quid de Perfectionibus non simpliciter simplicibus sentiendum: dicine ullo modo possint in Deo existere.

I. AD alias rerum creatarum perfectiones quod attinet, eas nimirum quæ non sunt simpliciter simplices, sed imperfectionem in se aliquam involvunt, quales sunt ratio equi, leonis, lapidis &c. in Deo formaliter existere non possunt. Imò nulla omnino rerum creatarum perfectiones, quæ tales, in Deo reperi possunt, cum plurimas sibi imperfectiones habeant permixtas: à Deo proinde, Ente perfectissimo, quam longissimè sunt removendæ, utpote in quo ne minimus existere nævus possit. Imò, hoc quisquis assereret, in doctrinam incideret Almarici, quam Disp. precedente vidimus à Concilio Lateranensi damnatam, non ut erroneam tantum, sed insanam.

II. Non desunt tamen nonnulli, qui doceant eadem numero perfectiones creaturarum in Deo formaliter reperiiri, quamvis non eodem modo quo reperiuntur in creaturis. At hoc planè est impossibile; sic enim Deus ex creaturis coalesceret, essetque quid ex rebus quibusque vilissimis compactum & confarcatum. Deinde, si eadem entitas seu realitas sit in Deo & arbore, vel formica, Deus realiter cum arbore, formica, & id genus aliis, adeoque cum rebus omnibus creatis identificaretur. Imò, ulterius sequitur, rem nullam creatam unquam primò produci, cum quicquid est in creaturis, secundum hos Auctores, prius realiter existat in Deo.

Opinio quædam circa existentiam creaturarum in Deo.

Alii denique affirmant, rerum creatarum perfectiones, etiam numero easdem, in Deo reperiiri, seclusis tamen imperfectionibus. At sanè hi pugnantia loqui videntur: ratio enim lapidis ex gratiâ, ita insitas sibi & immixtas, atque in essentiali suo conceptu involutas habet imperfectiones, ut quisquis eam ab his separare contenderit, separaverit illam à seipsâ. Quisquis nimirum rationem lapidis mente concipit, corporeum quiddam representat, materiale, divisibile, susceptivum accidentium, & id genus alia in se per identitatem complectens: siquis verò eam sine his concipiat, non rationem formalem lapidis, sed aliud illius loco concipit. Deinde, impossibile est ut eadem numero entitas à parte rei identificetur cum Deo & creaturis; sic enim esset à se & ab alio, creata & increata, corruptibilis & incorruptibilis &c. quæ in eandem rem cadere per nullam potentiam possunt. Illa etiam hic urgent, quæ numero precedente allata sunt contra alios.

III. Dicunt aliqui, perfectiones creaturarum easdem numero esse in Deo, seclusis imperfectionibus.

Omnis perfectio creata imperfectionibus est permixta.

Neque de crassioribus tantum hinc rerum creatarum perfectionibus, quæ hæctenus diximus, sunt intelligenda, sed nec puriores illæ & ab omni terrenâ concreione immunes, ut Sapiencia, & ejusmodi alie, in Deo prout in creaturis sunt, reperiuntur, cum quicquid creatum est, imperfectionem in se semper aliquam involvat. Quæ itaque in Deo est Sapiencia, quamvis in communi sapientie ratione cum creatâ conveniat, est tamen ab eâ plus quam specie, imò genere, diversa.

IV. Sapiencia creata, quæ talis, in Deo non reperiuntur.

Dici nihilominus aliquo modo potest, Deum omnes rerum creatarum in se perfectiones complecti, non quòd easdem numero contineat, hoc enim jam rejectum est, sed quòd nobiliore longè modo præstare ea possit, quæ præstantur à creaturis. Homo exempli g. labore maximo, sudore, ac studio scientiam aliquam addiscit, variis tamen erroribus (quæ humani ingenti imbecillitas est) permixtam, eamque deinceps non nisi longo tempore, & summâ cum defatigatione ac molestiâ in alios transfundit. Deus sine labore ullo, aut studio ejusdem rei scientiam infinites perfectius possidet, & momento in quos voluerit, derivat. Ignis cum agentibus frigidis luctando, qualitates in eas suas, & formam sensum inducit: agendo tamen repatitur, & virium aliquid in luctâ amittit. Deus autem in res qualque frigidissimas calorem intensissimum, & ignem sine resistentiâ ullâ, aut virium imminutione, unico instante inducit: ipse nimirum dixit & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt, eique cuncta ad nutum parent & obsequuntur. Tandem (ut exemplis, quæ infinita afferri possunt, modum faciam) Rosa eximîa quadam venustate intuentium oculos oblectat; sed marcescit illicò, ac penè dum floret, deflorescit. Deus beatos infinita pulchritudine pascit ac recreat, eaque nunquam interiturâ.

V. Quo sensu dici possit, Deum rerum creatarum perfectiones continere, seclusis imperfectionibus.

Summâ inter Deum & res creatas in agendo dissimilitudo.

Neque reipsâ differre existimo quod cum S. Thomâ hic 2. q. 4. a. 2. & q. 8. de verit. a. 16. ad 11. docent passim Theologi, Deum scilicet omnes rerum creatarum perfectiones continere eminenter. Quod etiam docet acutissimus Carimus in Theol. rationali, medita. 4. artic. 4. Porro continere aliquid eminenter, non solum est, rem illam in perfectione excedere; Angelus enim hominem, & homo reliquas res creatas in perfectione excedit, nec tamen hominem Angelus, aut res alias omnes homo dicitur continere eminenter. Ad continentiam ergo eminentialem alicujus rei, duo requiruntur, tum ut id quod eam continet, sit re illâ perfectius; tum ut eam possit producere, suæque

VI. Deus perfectiones omnes creaturarum continere eminenter.

Quid sit, aliquid continere eminenter.

TOMVS I. suæque perfectionis ei aliquid impertire : quorum utrumque Deo perfectissimè conuenit, utpote qui & res omnes creatas infinite in perfectione superet, & eas possit producere, inò & effectus earum omnes, idque multo præstantius, ut numero præcedente vidimus, quam res ipsæ eos producant. Deinde, est causa rerum exemplaris, utpote ad cuius similitudinem fiunt creaturæ, singulæque diuinam naturam participant. Quas ob causas dixit S. Augustinus lib. 5. de Genesi ad lit. cap. 15. *Creaturam verius esse habere in Deo, quam in natura propria.* Eodem modo loquitur S. Anselmus in Monol. cap. 35. *Omnis, inquit, creata substantia, tanto verius est in Verbo, & intelligentiæ Creatoris, quam in seipsa : quanto verius existit creatrix, quam creata essentia.*

S. Augustinus.

S. Anselmus

VII.

Vtrum monstra natura & moris in Deo continentur eminenter.

Objicies primò, Odium Dei, error, monstra, & similia tum nature, tum moris peccata, aliquid in se habent perfectionis, cum aliquam habeant entitatem, & tamen hæc in Deo non continentur eminenter, horum namque Deus non est causa, ergo omnes rerum creaturarum perfectiones in Deo non reperiuntur. Respondetur, hæc proprie dici non posse habere perfectionem, cum sint res imperfectæ, & defectus. Lato tamen illo modo quo dicuntur habere aliquam perfectionem, quia scilicet aliquam habent entitatem, dici etiam possunt contineri in Deo eminenter: qui quamvis dici nequeat illorum causa, realem tamen in se virtutem continet, eorum, ut res physice sunt, producivam.

VIII.

Quo pacto Deus in se perfectissimus res imperfectas producat.

Ut autem Deus res imperfectas producat, non est opus ut ipse sit imperfectus, sed vel ut virtutem suam, & concursum universalem ad causæ alicujus creatæ imperfectæ ac defectibilis exigentiam applicet, ut in iis de quibus numero præcedente,

contingit: vel si de aliis, igne scilicet, aquâ, & similibus sit sermo, non magis repugnat Deum, causam perfectissimam, limitatas iis perfectiones, cuiusque naturæ & capacitati conformes, tribuere, quam ditissimum aliquem Principem, ex innumeris, quos possidet, thesauris, pauperi elemosynam, decem ex gratiâ, aut viginti aureos largiri. Dicere autem, Deum, quia ipse limitatus non est, & imperfectus, non posse res limitatas & imperfectas producere, perinde est ac si quis assereret, mare, quia ipsum exiguum non est, non posse aquam in vasa exigua ex immensis suis fluctibus derivare.

Ad communem verò illum loquendi modum, quo dici solet, *ideo Deum producere, & ex se fundere posse creaturas, quia in se illas continet*; quo etiam loquendi modo uti video S. Thomam hic, q. 4. a. 2. Resp. intelligendum hoc esse in sensu formali, sicut cum dicitur, *ideo Petrus esse hominem, quia est animal rationale*: idem quippe est continere eminenter creaturas, & posse eas producere, juxta ea quæ hæcenus sunt dicta.

Objicies secundò: si Deus omnes rerum creaturarum perfectiones in se non continet, sequi hoc complexum *Deus & creatura esse perfectius solo Deo*; creatura namque addit aliquid perfectionis in Deo non reperiuntur. Respondetur cum communi, complexum illud ex Deo & creaturâ esse perfectius Deo solo extensive, non intensive & simpliciter: Deus siquidem, esto perfectiones creaturarum non contineat formaliter; eminentissimo tamen modo in illo cunctæ reperiuntur, effeque virtute omnes: esse autem creaturas formaliter, magnam in eo argueret imperfectionem, ut jam ostensum est.

IX.
Quo sensu verum sit, Deum ideo producere posse creaturas, quia illas in se continet.

X.
Sitne complexum ex Deo & creaturis perfectius sit Deo solo.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Bonitate, & Infinitate Dei.

SECTIO PRIMA.

Qua ratione Deus sit Summum bonum.

I.

Bonum idem est ac perfectum.

BONUM, ut Disp. 3. Metaph. dixi, Sect. 2. idem est ac perfectum, seu integrum: quod proinde quatuor modis dici, *Essentialiter, Substantialiter, Integraliter, & Accidentaliter*, ibidem ostendi. Bonum verò simpliciter infinitum; ut loco citato dixi, est solus Deus, omnem nimirum perfectionem excogitabilem in se complectens. Res verò creatæ, in suo quæque genere sunt bonæ, quatenus scilicet micæ quasdam, aut scintillas bonitatis ac perfectionis ex infinito illo honorum omnium fonte & scaturigine in se derivatas continent.

Bonum simpliciter infinitum, solus Deus.

II.

Bonum duplex, absolutum, & respectivum.

Bonum est duplex, absolutum, & respectivum. Bonum absolutum illud vocatur, quod in se perfectionem habet sibi debitam, de quo proxime dictum est. Bonum verò respectivum, seu relativum, illud censetur, quod alteri bonum est, vocaturque *Bonum convenientie*. Hæc autem duæ rationes boni, non in omni semper se bonâ inveniuntur; quod

enim in se bonum est, alteri frequenter est malum: sic calor & frigus ut ostendit, in se bona sunt, utpote in ratione caloris & frigoris perfectæ; ille tamen aquæ malus est, hoc igni: & sic de aliis.

Deus itaque, in utroque genere est summum bonum, & in se scilicet usquequaque completus ac perfectus, ut Disp. præcedente, sect. secundâ declaratum est, & nobis convenientissimum: prima bonitas cum constituit objectum Charitatis, secunda Spei; quamvis reipsâ utraque bonitas realiter sit eadem, discrepantia autem in diversâ tantum illius consideratione & comparatione sita est.

Duplicem hæc boni rationem in Deo reperitam clarissimè tradit Scriptura & Patres. Quoad primam enim, bonitatem scilicet absolutam, Deus ubique in divinis literis bonus nuncupatur. Ad quam rem S. Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 2. ait, *Trinitatem Divinarum Personarum esse summum bonum, quod purgatissimi mentibus cernitur.* Et l. 8. de Trin. c. 3. Deum vocat *Bonum omnis boni*, illud scilicet, à quo, velut ab uberissimo fonte, res omnes creatæ, quicquid habent bonitatis, recipiunt. Quoad aliam verò Dei bonitatem, prout nimirum nobis bonus est, inprimis Psal. 71. v. 1. dicitur, *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Et Thren. 3. vers. 25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, anima querenti illum;*

III.
Deus omni modo est summum bonum.

IV.
Dei Bonitas in Scripturis exprimitur.